



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Aurigæ, Currus.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

res hoc maximè in profundo maris vident ; & pro spe exigui lucri se tot periculis in profundo maris exponunt. Quid tu pro cælo ? tu tibi fingis omnis generis monstra in via perfectionis, & isti te ipsâ omnis generis monstra & animalia ( quia non est species belluarum in terris, quorum species non sit in mari æquè si non terribior ) contemnunt alicujus, ut jam dixi, lucri temporalis gratia. *Motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Quid timidi estis modice fidei ? imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Matth. 8.* JESUS videtur dormire, quando permittit varia contra Ecclesiam suam. Sed quia Sponsa est pretioso suo sanguine empta ; crede mihi semper, verificabitur contra Ecclesiæ hostes illud Pontificis ad Imperatorem :

*Niteris in cassum navim subvertere Petri,  
Fluctuat : ast nunquam mergitur ista ratis.*

*Auriga, Currus.*

**E**Cce currus igneus & equi ignei dividerunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in calum. Eliseus autem videbat, & clamabat : Pater mi, Pater mi currus Israel & auriga ejus. L. 4. Reg. c. 2. Utinam talem & tu currum & aurigam habeas. Quanta differentia inter Angelum bonum & malum avehentes animas in orbem alterum. Sed Elias vivus translatus est, & vivet usque dum cum Henoch [ v. c. 5. Gen. ] occidatur Jerosolymæ ab Anti-christo, & post triduum



366 *Pars secunda de elevatione*  
triduum resurgat. Sive ambo in paradiso ex  
fructu arboris vitæ vivant, sive Deus sine esu &  
potu suspendens actionem caloris naturalis &  
consumptionem humidi radicalis incorruptos  
servet. *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet*  
*plaustrum onustum.* Amos. 2. Sic conculcat pec-  
catores Deus. *Luxuriæ currus quadrigâ voluitur*  
*vitiorum, ingluvie ventris, libidine tactuum,*  
*mollitiæ vestium, otii soporisque resolutione.* Tra-  
hitur equis duobus prosperitate vitæ, & rerum  
abundantiâ, & qui his insident duo ignavia tor-  
por & infida securitas. S. Bern. serm. 39. in  
Cantic. *Currus Dei decem millibus multiplex,*  
*millia lætantium. Dominus in eis, in Sina, in Sa-*  
*eto.* Pl. 67. Talem pomposum currum nullus  
Regum habere potest. Hoc vehebatur Deus,  
cùm legem daturus descendit in montem Sinai.  
*Et decem millibus, Hebr. 20. millibus.* ( numerus  
certus pro incerto ) stipatus fuit, quæ tot mil-  
lia fuerunt Angelorum lætantium, inter quos  
Dominus apparuit. *Currus Pharaonis & exer-*  
*citus eius projecit in mare, electi Principes eius*  
*submersi sunt in mari rubro.* Exod. 15. Cùm  
Diabolus currus rotam fregisset, quo S. Bernar-  
dus Romam petebat, Sanctus vesutias Dæmo-  
nis advertens iussit eum rotæ officio fungi Ro-  
mam usque. *Nunquid est cor tuum rectum, sicut*  
*cor meum cum corde tuo, & ait Jonadab, est. Si*  
*est, da manum tuam, qui dedit manum suam,*  
*at ille levavit eum ad se in currum.* 4. Reg. 10.  
Sic Deus, antequam te admittat ad currum glo-  
riæ suæ, examinat cor, inspicit manus live  
opera.



opera. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.* Pl. 19. *Eunuchus potens Candacis Reginae Æthiopum, revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam.* Act. Ap. 8. Opto, ut plures sint ejusmodi magni Domini legentes in curru ac itinere libros sanctos. Terribilis est visio illa ejusdam in extasin rapti; in qua obversabatur oculis magnus Princeps sedens in curru magnifico per montem celeriter vectus, & demum in abyssum præcipitatus. Sicut post ipsum ejus Ministri, quorum alii sex, alii quatuor equos ante currum habebant, Confessarius Principis duos, quem ipse quoque Confessarius strigoso insidens equo sequebatur. Omnes interrogati, quò tam celeriter properarent, resposuere. Sequimur Principem; & pariter ex extrema parte montis in abyssum præcipitati sunt.

*Gladiatores.*

*Vives in gladio, dicebat Jacob ad Esau Gen. 27.* Hoc fatum est multarum familiarum vel gentium prædaticum ac Barbararum. Optimus digladiator est, de quo Gen. 3. v. 24. dicitur: *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilen ad custodiendam viam ligni vite.* Ex ordine hoc Angelorum dicuntur *Cherubim* ab excellentissima scientia, quâ à Deo dotati. Et ideo per aptè hic ponuntur quasi vindices divinæ omniscientiæ, quam Adam & Eva per esum pomi ambie-